



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CCCVIII. De Aedificatione Cristmemel.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

Ius notat Fridericum de Wildenbruck in quodam Privilegio de Anno 1321. se nominare Meister zu Preussen; cum tamen certum sit Magistros Provinciales tum jam fuisse abrogatos neque quisquam asseruit, Fridericum de Wildenburg Magistrum Ordinis Generalem fuisse.

CAP. CCCVIII.

De

Ædificatione Cristmemel.

Anno Domini MCCCCXIII. infesto Pa-
schæ frater Karolus Magister ad lau-
dem & gloriam Dei & matris suæ & dilata-
tionem finium Christianorum congrega-
tā omni Virtute exercitus sui (a) ædifica-
vit castrum Christmemelam in littore
Memelæ supra (b) Raganitam ultra 6.leu-
cas. Tanta fuit ibi multitudo navium,
quod factus fuit pons super Memelam de
ipsis, quem quilibet sine periculo poterat
pertransire usque ad littus infideliū, de
quo ponte Lethovvni plus admiraban-
tur, quam de omnibus factis Christiano-
rum, quæ viderant in vita sua. Consum-
mato ædificio Clerici sequente populo
cum solemnī processione reliquias ad Ec-
clesiam portaverunt, missam ibi solenni-
ter celebrantes. Nec hoc prætereundum
est, quod ex promissione Dei plures naves
fratrum, quæ cum Victualibus & aliis quæ
ad ædificationem castri sunt necessaria,
fuerant oneratae in mari, Naufragio peric-

Anno Dn. MCCCCXIII.
die V. mensis May, Papa
Clemens V. Canoniza-
vit S. Petrum Confesso-
rem, qui fuit Papa Cele-
stinus V. & præcepit fe-
stum suum XIV. die men-
sis Junii observari.

*Eodem anno circa fe-
stum B. Gregorii appa-
ruit Cometa in sero X.
diebus vertens comam
ad Italiam.*

*Eodem anno in die
Bartholomæi Henricus
Imperator in Comitatu
Senensi mortuus est &
sepultus Pis. X dies,
quibus Imperator infir-
mabatur ante mortem
suam. Hoc anno Allecum
defecit in terra Pru-
ssia, quæ à tempore cu-
jus memoria non extitit
ibidem abundabat.*

runt,



runt, & fratres IV. & viri quinquaginta sunt submersi. Hanc tentationem, sicut dicitur de Job, permisit Dominus ideo fieri, ut daretur posteris Exemplum constantiae, quia licet hoc grave dampnum fratribus occurrit, nequaquam tamen incepsum opus Domini retardavit. Hoc tempore quidam de Bavaria sagittarius in Castro Raganita fuit, qui dum facto Crucis signo jaceret in stratu suo noctis tempore, & yellet dormire, venit Diabolus & momordit eum maximè in pedicam suam: iste autem de nimia læsione dolens clamavit alta voce dicens: *Quis est qui me momordit?* At ille inquit: *Ego sum Diabolus.* Et quare fecisti? Respoñdit Diabolus, quia cum reponis te ad dormiendum, facies cruces nimis nimis breves. Sequenti autem die cum hujusmodi factum coram fratribus & aliis publicaret, quæsiverunt ab eo, utrum sic fuisset de brevitate Crucis. Respondit, verè ita erat. Sed de cætero cavebo, faciam enim Cruces quæ procedunt à planta pedis usque ad verticem & ultra.

ANIMADVERSIONES.

- (a) Quatuor hebdomadarum spacio. *Vid. Simon Grunov. Tratt. XI.*
5. Henneb. in Comment. ad tab. Geogr. pag. 49. Destrūctum est postea Castrum hoc, adeò ut ne vestigium quidem ejus hodiè super sit.
- (b) Perperam itaque Waifelius, qui Castrum hoc conditum esse dicit ex adverso Raganitæ. Dicit enim richt Naguit über. fol. 110. à pr. Fluit autem error ex male intellecto loco Simonis Grunovii, qui loc. cit. ita scribit: Und lieget über Raganita daß fliesz auff. Primus arcis illius provisor (Pfleger) fuit Gandolf von Brudeloy loc. *Citat.*

C A P. CCCIX.

*De**Impugnatione Castri Bisene.*

Eodem

